

# ARCHIDOXIS EX

THEOPHRASTIA PARACELSI

SI MAGNI

LIBER TERTIVS.

*De Quinta Essentia.*



**D**OST QUAM itaq; Quintæ Es-  
sentia mentionem fecimus, quæ re-  
bus omnibus inest, consentaneum  
rationi videtur, primū, quid Quin-  
ta essentia sit, definire. Est ergo  
Quinta essentia, \* Materia, corpo-  
raliter extracta ex omnibus vegetabilibus, plātilq;  
et ex omnibus his in quibus vita est: separata ab om-  
ni impuritate et mortali corruptione: subtiliter ad  
summam puritatem perducta: et ab omnibus Elemē-  
tis seiuncta, et exempta. Hinc sanè constat nihil ali-  
ud esse Quintam essentiam, quàm ipsam rei cuiusli-  
bet Naturam, Potentiam, Virtutem, et Medicinā  
in re illa existentem: exuta hospitio, et absq; alie-  
ni corporis admixtione contētam: Esse deniq; Co-  
lorem, Vitam, et Proprietatem rei: Esse præterea  
Spiritus, similem spiritui vitæ in homine, hoc ex-  
cepto, quòd spiritus vitæ in rebus cæteris permanet  
durabilis

*THEORICA.*

*Definitio Q. E.*

\* *Substantia cor-  
porea.*

*Explicatio Quintæ  
Essentia.*

*Spiritus vitæ.*

G

durabilis